

tiam simplicem & inextensam, qualis est anima, agere in substantiam extensam, quale est corpus; talis actio mutua naturæ ordini, & motuum legibus omnino contraria est; ergo impossibilis est influxus physicus... Resp. Nego ant. Quamvis nesciamus quomodo mens simplex in corpus agat, non ideo tamen actio illa neganda est; hæc enim ignorantia nostra non magis probat nullam esse mutuam actionem corporis & animæ, quam cæci nati ignorantia probet ab aliis hominibus lumen ac colores corporumque distantium motus non posse visione, cujus nullam ideam habet, percipi. Multa sunt in intima natura atque essentia cum corporis tum animæ quæ nobis sunt ignota, & quorum conscii non sumus; videturque a sapientissimo naturæ Auctore id tantum nobis concessum esse ut ea duntaxat cognosceremus, quæ ad hujus vitæ usum & ad aliam meliorem vitam consequendam sufficiunt. Cartesianorum & Leibnitianorum argumenta invicte quidem demonstrant nec mentem in corpus, nec corpus in mentem agere quemadmodum corpus in alterum corpus agit, sed non probant substantiam unam non posse agere in alteram aliquo modo, cujus nullam ideam habemus. Quamvis ergo physicas motuum leges in animæ corporisque commercio non servari concedamus, inde tamen minime sequitur entia intelligentia atque libera vim a Deo non accepisse motus aliquos in corporibus producendi, juxta leges alias ipsorum naturæ convenientes.

Inst. I. Licitum est, immo necessarium ad
pri-